

dolo provocavit clericum ipsum damnificando, injuriando, etc. — Quæritur III. Utrum locus sit reconventioni, quando laicus dolo provocavit clericum, puta, ipsi furtum, vel damnum aut injuriam inferendo, ut ab eo conveniatur, quatenus hac occasione eum vicissim coram suo sæculari iudice (forsan sibi magis favente) possit reconvenire? Resp. negative; prout tenet Glossa in c. *Relatum*. §. *Coram sæculari, de Jure patronat.*; Abbas, c. *Cum dilectus*. n. 9, *de Arbitris*; Speculator, tit. *de Reconventione*, § 1, n. 6; Jacob. Pignatellus, tom. III, consult. 27, n. 8; Maranta, part. IV *Speculi aurei*. dist. 6, n. 53; Farinacius, lib. V, *de Inquisitione*, q. 8, n. 101, et alii. Probatur hoc ex cap. ult. *de Ordine cognition.*, ubi generatim spoliator non potest reconvenire spoliatum iudicio petitorio; ac proin nec laicus spoliatus, damnificans clericum, si ab hoc conveniatur, poterit ipsum reconvenire. Concordat textus in l. II, § *Sed et si agant*. ff. *de Judiciis*, ubi legati causa reipublicæ absentes possunt quidem, si prius agant, reconveniri in iudicio, « non tamen si injuriam suam persequantur, vel furtum vel damnum, quod nunc passi sunt, » etc. Idem ergo dicendum de clericis, quod nempe non possint reconveniri, quando furtum, vel damnum passi, coram iudice sæculari injuriam suam persequuntur, laicumque ipsos damnificantem conveniunt: nam pari favore clerici ratione status clericalis, ac legati causa reipublicæ absentes, fruuntur. Accedit, quod generaliter loquendo in causa spoliati locum non habeat reconventio, ut dictum superius § 1, n. 9; idem ergo dicendum respectu clerici per laici furtum vel damnificationem spoliati.

36. *Idque amplius probatur.* — Confirmatur. Quia laicus clericum (sicut et legatum) injurians, vel in bonis suis damnificans, hoc ipso præsumitur eum dolo provocasse ad agendum; alioquin enim impune læderet. Et si semel in tali casu locus daretur reconventioni, tunc clerici (sicut et legati) « aut impune contumeliosi, et damnis afficerentur; aut erit in potestate cujusque, pulsando eos, subjicere ipsos jurisdictioni, » Judicis laici, « dum se vindicant; » prout notatur, ac pro ratione dictæ dispositionis refertur in cit. § *Sed et si agant*. Quia igitur malitiis hominum non est indulgendum, l. *In fundo*, ff. *de Rei vendit.* atque fraus et dolus alicui patrocinari non debent, c. *Sedes*, 15 et c. *Ex tenore*, 16, *de Rescript.* merito talibus præcluditur

via reconventioni. Idque eo magis: quia reconventio clerici coram iudice laico, cæteroque a sacris canonibus permessa est solummodo ex necessitate, sive ob connexitatem causarum, hac ratione citius finiendarum: non vero, ut quis per dolum sibi ad eam, principaliter intentam, viam aperiat.

37. *Dantur alii casus, in quibus clericus nequit reconveniri coram iudice laico; et qui?* — Quæritur IV. An dentur alii casus, in quibus clerici coram sæculari iudice laicum convenientes, non possint ibidem reconveniri? Resp. dari: adeo, ut Jacob. Pignatellus cit. consultat. 27, universim tredecim tales casus enumeret. Et quidem primo generaliter reconventio clerici coram iudice laico locum non habet in illis casibus, in quibus ipsa cæteroque locum non habet, ne quidem contra actorem laicum; estque jam dictum supra § præced. n. 6 et 7, et seqq.

38. *Dantur alii casus, in quibus clericus nequit reconveniri coram iudice laico; et qui?* — Deinde præter causas spirituales, et criminales, in quibus non procedere reconventionem coram iudice sæculari contra clericum, jam a principio hujus paragraphi dictum est; reconventio locum non habet, nisi reconveniat clericus nomine proprio, ubi is nomine proprio agit contra laicum: alioquin enim cessaret ratio reconventionis. Unde si clericus agat nomine Ecclesiæ, nequit is reconveniri nomine proprio: quia non agit ipse, sed Ecclesia, cujus est procurator. Pignatellus cit. consultat. 27, n. 6, allegans alios.

39. *Dantur alii casus, in quibus clericus nequit reconveniri coram iudice laico; et qui?* — Ulterius non habet locum reconventio, ubi consuetudine receptum est, quod reconventio clerici non fiat sub eodem iudice, sed tantum sub ecclesiastico: nam hujusmodi consuetudinem, veluti legitimam, et juris adeo controversi optimam interpretem, posse induci, ac proinde in praxi servandam esse, ultre fatentur doctores ut dictum n. 23 et 7. Tacentur aliæ limitationes, utpote potissimum consistentes in iis casibus, in quibus generaliter reconventio non procedit, ac jam superius declarati fuerunt.

§ III.

DE ALIIS RECONVENTIONEM CONCERNENTIBUS.

40. *Reconventio est proponenda sub ipso liti exordio.* — Quæritur I. Quo tempore recon-

ventio sit proponenda? Resp. I. Reconventio sub ipso liti exordio, hoc est, vel ante litem contestatam, vel immediate post, debet proponi: alias pari passu cum conventionem non ambulat. Ita Glossa in Clem. *Sæpe contingit*, § *Verum*, §. *Exordio*, et Abbas, ibid., n. 52 et 53, *de Verb. signif.*; Maranta, part. IV *Speculi aurei*, dist. 6, n. 5; Felinus, in cap. I, n. 2, h. t.; Barbosa, ibid. n. 6, citans alios; contra Glossam in cap. I, §. *Respondere*, h. t. et Speculatorem, tit. *de Reconventione*, § *Sequitur*, ubi ait, quod usque ad conclusionem in causa possit fieri reconventio, nisi placeat hanc sententiam intelligere conformiter dicendis n. 43.

41. *Reconventio est proponenda sub ipso liti exordio.* — Conclusio nostra, quam Felinus loc. cit. asserit esse communem opinionem, clare habetur ex d. Clem. *Sæpe contingit*. § *Verum*. *de Verb. signif.* ubi dicitur: « Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet pro parte actoris, et etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso liti exordio petitiio facienda. » Nam Verbum illud, « est in exordio facienda, » necessitat, ut inquit Felinus, cit. n. 2, post Card. in c. *Exceptionem*, *de Exceptionibus*, et Baldum in rubric. C. *de Edend.* dicentem, quod gerundium necessitet. Concordat Auth. *de Executoribus*, § *Sancimus*. collat. 7, ibi: « Sancimus ergo, si quis obnoxium arbitratur habere eum, qui contra se conventionem exposuit, non apud alium iudicem, sed apud eum mox a principio convenire. » Ubi Glossa notavit: « Mox, hoc est, statim sive ante sive post parum, non ex intervallo. »

42. *Sive ante, sive immediate post litem contestatam.* — Cæterum, quod reconventio possit fieri nedum ante, sed etiam post litem contestatam, dummodo fiat incontinenti, sive parum post ipsam, tamen antequam juretur de calumnia (ut explicat Baldus in c. *Cum venisset*. n. 10, *de Judiciis*, et Jason in l. *Non solum*. § *Morte ejus*, n. 13. ff. *de Novi operis nuntiati.*), tenent doctores communiter post Glossam proxime relatum, et aliam Glossam in d. Clem. *Sæpe contingit*, §. *Exordio*. *de Verb. signif.* Ratio est, quia tunc reconventio adhuc censetur fieri in ipso liti exordio, utpote quod habetur per liti contestationem: nam quæ incontinenti fiunt, a jure inesse dicuntur, l. *Lecta est*, ff. *Si certum petatur*, junctis concordantiis per Glossam ibid. §. *Stipulationi*, allegatis.

43. *Alias pari passu cum conventionem non*

ambulat. — Additur n. 40. notanter, « Alias pari passu cum conventionem non ambulat. » Quia negari non potest, quin reconventio, saltem quoad effectum prorogandi jurisdictionem iudicis per actorem electi, semper proponi valeat durante eodem iudicio, et in quacumque parte ipsius (hoc est usque ad sententiam, vel saltem usque ad conclusionem in causa) et hoc non solum coram iudice ordinario sed etiam coram delegato, prout expressum habetur in c. *Dispendia*, § *Reus*. *de Rescript.* in 6, illis verbis: « Reus quoque, si eodem durante iudicio, actorem sibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio de jure suo debet apud eosdem iudices experiri. » Atque hoc modo poterit intelligi Glossa, et Speculator, supra n. 40. in contrarium allegati. Verumtamen notandum cum Glossa in cit. Clem. *Sæpe contingit*. §. *Exordio* Abbate Maranta, ubi supra, et aliis, quod reconventio illa, quæ non fit in liti exordio, non sit vera reconventio, neque vim reconventionis habeat; ita ut simul cum causa conventionis tractari, ac finiri debeat, licet operetur effectum prorogationis jurisdictionis. Unde quando reconventio proponitur alio tempore, quam sub liti exordio, tunc ea non operatur, ut pari passu ambulet cum conventionem (hoc est, ut iudex debeat in utraque causa vicissim ac simul procedere, atque utramque eadem sententia terminare; prout fit in vera reconventionem, juxta proxime dicenda n. 45. et seqq.), sed solum id operatur, ut actor teneatur stare juri coram tali iudice, coram quo ita fuit reconventus. Atque ita intelligitur textus allegatus ex cit. c. *Dispendia*. § *Reus*; Maranta, loc. cit. n. 5.

44. *Et hujus ratio.* — Ratio hujus est, quia si causa reconventionis, post liti exordium ex longo intervallo interpositæ, deberet simul cum causa conventionis discuti, ac terminari, ut sic pari passu cum ipsa procederet; retardaretur propter hoc causa conventionis antea jam satis discussa, ejusque decisio differretur, cum gravi dispendio actoris: imo in potestate rei quodammodo foret, hac arte actorem deludere, ac sententiam in causa conventionis jamjam ferendam interposita aliqua reconventionem prolongare. Ne igitur malitiis hominum indulgeatur, hinc in tali casu oportet primitus sententialiter terminari causam conventionis, utpote quam prius in iudicium deductam, et probatam, æquum non est, suspendi cum gravi incommodo actoris propter supervenientem recon-

ventionem rei: postea vero sub eodem iudice oportet tractari causam reconventionis, hancque sententialiter terminari. Itaque talis reconventio id saltem habet commodi, quod ipsa apud eundem causæ conventionis iudicem, utpote ab actore sponte electum, sive ordinarium, sive delegatum, tractari possit, ac debeat; neque actor reconventus ejus forum declinare valeat, per textum jam allegatum ex cit. c. *Dispendia*. § *Reus de Rescript.* in 6. qui sic commode intelligi, atque cum aliis juribus concordari potest. Barbosa, cit. cap. 1, n. 13, h. t.; Maranta, et alii.

43. *Causa conventionis, et vicissim reconventionis, est simul tractanda.* — Quæritur II. Quomodo tractanda, et terminanda sit causa reconventionis, jam a litis exordio propositæ? Resp. I. Causa conventionis, et vicissim reconventionis, est simul tractanda, cum prærogativa tamen actoris: ita videlicet, ut prius tractetur unus articulus actoris in conventionem propositus, ad eumque reus respondere teneatur; et dein vicissim tractetur, atque expediatur unus articulus rei propositus in reconventionem, et sic deinde loquendo de singulis articulis hinc inde tractandis: quibus omnibus expeditis ambæ causæ una sententia terminandæ sunt. Ita communis. Et quidem prior pars clare habetur ex cap. 1. h. t. ubi causa conventionis ex una, et causa reconventionis ex altera parte, coram iudicibus a se delegatis proposita, pontifex mandat, ut ipsi compellant actorem ad respondendum reo: « et vicissim (hoc est, eodem tempore, ordine tamen successivo) postmodum rationes partium audientes, concordia, vel iudicio utriusque negotium terminent. » Concordat c. *Cum dilectus*. 2. § *Nos autem de Ordine cognit.* ubi dicitur, quod mutue petitiones in idem iudicium ambæ deductæ, vicissimque tractandæ, simul sint eadem sententia terminandæ.

46. *Cum prærogativa tamen actoris.* — Altera pars, quod nimirum ambæ illæ causæ sint tractandæ, cum prærogativa tamen actoris, patet ex cit. c. *Cum dilectus*. § *Nos autem de Ordine cognit.* Accedit ratio: quia actor primo provocavit ad iudicium; ergo etiam merito ipsi competit prærogativa, ut prius expediatur articulus aliquis actoris in causa conventionis, quam rei in causa reconventionis; juxta regulam illam: « Qui prior appellat, prior agat, » ut loquitur textus ibid. Abbas in cap. 1, n. 7; Vallensis, h. t. § 3; Pirhing. eod. n. 19. et alii.

47. *Et quomodo utraque causa dicatur eadem sententia terminari?* — Si petas, quomodo intelligendum sit, quod causa conventionis et reconventiones eadem sententia sit terminanda; cum tamen generaliter loquendo, quot sunt articuli, tot sint sententiæ, l. *Etiam*. § *Ex causa*. ff. *de Minorib.* et c. *Cum Ecclesia*. et c. *Cum super de Causa possess. et propriet.* ubi duæ diversæ sententiæ latae fuerunt super conventionem et reconventionem, sive super possessionem et proprietatem rei simul in iudicium deducta. Resp. cum Glossa, in d. c. *Cum dilectus*. § *Eadem sententia de Ordine cognit.* et Abbate in cap. 1. n. 7. h. t. Speculatore, tit. *de Reconventione*. § *Videntur*. n. 4. et aliis, fatendum esse, quod revera duæ sint sententiæ in causa conventionis, et reconventionis; recte tamen eas dici unam sententiam propter continuationem temporis, et contextum prolationis: quia nimirum una continuo post alteram, sicque eodem continuato tempore, atque ex eadem scriptura proferri debet.

48. *Quid, si feratur sententia super una tali causa, et non super altera?* — Quod si vero feratur sententia super una tali causa, et non super altera, valebit quidem sententia, sed pars altera potest appellare. Siquidem hic fit transgressio ordinis causæ ad causam quæ licet non vitiet sententiam ipso facto, tamen juste ab eadem appellatur, l. I. c. *de Appellat.* et l. I. § fin. ff. *Quæ sententiæ sine appellat.* ac notat Abbas cit. c. *Cum dilectus*. n. 14. *de Ordine cognit.*; Speculator loc. cit. n. 5; Maranta cit. part. IV, distinct. 6, n. 7. et alii. Qui tamen notanter istud limitant in casu, ubi prius liqueret de una, quam de alia causa, de qua non posset constare de facili, sed magnis adhuc opus foret ambagibus; aut ubi causa conventionis celeritatem requireret, et immineret periculum animarum in differendo: nam tunc posset iudex super una causa v. g. conventionis, prius pronuntiare, nec valebit appellatio, arg. c. *Ad ultimum*. 2. *de Causa possess. et propriet.* et l. *Æquissimum*. § 1. ff. *de Usufruct.*

49. *Effectus reconventionis, qui?* — Quæritur III. Qui sint effectus reconventionis? Resp. esse plures. Et quidem primus reconventionis effectus est, quod si actor nolit respondere reo super libello reconventionis, neque reus teneatur actori in causa conventionis respondere. Nam utraque causa simul est tractanda, et terminanda, cap. 1. h. t. Atque actoris et rei par debet esse conditio, cap. II.

eod. Simile quid habetur in cap. ult. § fin. *Jurament. calumn.*

50. *Effectus reconventionis, qui?* — Alter effectus, sive privilegium reconventionis est, quod ipsa sit prorogativa jurisdictionis. Siquidem reconventio extendit jurisdictionem iudicis, sive ordinarii, sive delegati, in causa reconventionis contra actorem; adeo ut hanc dijudicare valeat, non obstante, quod in actorem illum, sive causam, in qua reconvenitur, cæteroquin non haberet jurisdictionem. Glossa, in cap. 1. § *Super suis*. ut Abbas ibid. n. 4. h. t. et alii. Quanquam hoc limitandum sit in causis illis, quarum natura et qualiter reconventioni repugnat, juxta dicta superius h. t. n. 11. § 1.

51. *Effectus reconventionis, qui?* — Tertius effectus, sive privilegium reconventionis, est simultaneus processus: nempe quod causa conventionis, et vicissim reconventionis, simul sit tractanda, eademque sententia terminanda, ne alioquin oporteat easdem partes simul coram diversis iudicibus dispendiose litigare, estque jam dictum, n. 45. et seqq.

52. *Effectus reconventionis, qui?* — Quartus effectus, sive privilegium reconventionis est, quod ea sit causarum adæquativa; ita videlicet, ut idem modus procedendi, qui servatur in causa conventionis, etiam servandus sit in causa reconventionis, arg. cap. II. h. t. ac notat Abbas ibid. n. 2. Hinc si in causa conventionis reo appellare non licet, puta ob rescriptum ab actore impetratum cum clausula, « Appellatione remota, » neque actor in causa reconventionis appellare poterit, cum uno et eodem jure uterque censeri debeat cit. cap. II. h. t. Accedit, quod non debeat actori licere, quod reo non permittitur, l. *Non debet actori*. ff. *de Reg. jur.* et c. *Non licet*. eod. in 6.

TITULUS V.

De Litis Contestatione.

1. *Litis contestatio, quid?* — Quæritur I. Quid sit litis contestatio, et quæ ejus necessitas? Resp. I. Litis contestatio est fundamentum iudicii per petitionem in jure propositam et congruam responsionem, animo litigandi factum. Ita Abbas, cap. un. n. 10. h. t. post Hostiensem, Joan. Andream, et

alios; quamvis horum aliqui apposerint ly « animo contestandi litem, » verum loco hujus particulæ melius in data definitione positum fuit ly « animo litigandi, » ne alioquin idem definiretur per æque ignotum, nempe « Litis contestatio » per animum « contestandi litem. » Desumitur autem allata definitio ex cap. un. h. t. ubi dicitur, quod « per petitionem jure propositam, et responsionem secutam, litis contestatio fiat. » Nam cum actor quidpiam petit in iudicio, reus autem congrue respondet, sive negando ex toto intentionem actoris, sive partim affirmando, partim negando, animo tamen litigandi, sive contestandi litem; tunc inducitur litis contestatio, prout amplius patebit ex progressu.

2. *Litis contestatio, quid?* — Brevius litis contestationem definit Vultei, l. I. *Jurispr. rom.* cap. xxxi; Pirhing, h. t. n. 5. et Engel, n. 1. dicendo: Litis constatio est iudicii constitutio, facta affirmatione unius, et contradictione alterius litigantis. Et dicitur, *iudicii constitutio*: quia litis contestatio est fundamentum, et lapis angularis iudicii ordinarii: atque ante eam non dicitur quis proprie agere, vel petere; sed agere, vel petere velle l. *Amplius*. ff. *Rem ratam haberi*, atque illico amplius dicitur. Unde

3. *Est fundamentum, et basis, lapisque angularis iudicii ordinarii.* — Resp. II. Litis contestatio est fundamentum iudicii, et basis, lapisque angularis ipsius, qua ommissa, si in figura iudicii ordinarii procedatur, vexantur litigantes inanibus laboribus ac sumptibus, ipseque processus est nullus. Patet hoc ex cap. un. h. t. et cap. I et II. « Ut lite non contestata, » etc. cum concordantiis; ac notat Abbas, cit. n. 10. et Baldus in cap. un. n. 2. h. t. estque communis: et concordant dicta superius, tit. I. *de Iudiciis*. § 1. n. 18 et 19.

4. *In iudicio summario tamen ea non requiritur, licet fieri possit. Vim litis contestationis habet in iudicio summario primus actus, qui fit, vel cæteroquin fieri solet post litem contestatam.* — Additur notanter, « si procedatur in forma iudicii ordinarii. » Nam in iudicio summario, utpote in quo proceditur simpliciter ac de plano, non est necessaria litis contestatio, Clem. *Sæpe contingit de Verb. signif.* ibi: « Litis contestationem non exigat. » Quamvis si hæc ibi fiat, idcirco processus non sit irritus, neque irritandus: prout ibidem declarat pontifex. Unde sciendum, quod in iudicio summario primus actus, qui fit, vel cætero-